Seduci à blanditijs æſtatis, quæ ſpinis malorum, dolo-
rúmque ſentibus non caret, nolite terreri ab hyeme
quam ſuæ ~~ipſa~~ quoque deliciæ, ac innumera, præſtan-
tiſſimáque comitatur bona. Vos verò Auditores Heli:
cane grata ~~meam~~ mente contra ignavos, deſidiáque
putreſcentes Martis et Veneris cultos verbis ſtre-
nuè defendiſſe, ac fortiſſimis factis, ut hactenus
feciſtis utiliſſimam, adeóque lætè amplectendam eſſe
animo demonſtrate. Sic enim eam hyemem perfacilè
laude digniſſimam probavero, ſi irrefragabili veſtro
inſtructus teſtimonio, præter ea mala, quæ arcet
frequentiſſimè, iucundiſſima inſuper, et alia innumera
bona tum per ſe, tum per alios proferenda utiliſſimam
declaravero. Hæc ſiquidem aliorum temporum morbos,
qui ex aëris putredine, alijsque cauſis frequentiſſimi
ſunt, tollit, aërem puriſſimum, ac ſaluberrimum
reddit, adeò, ut homines ~~tum~~ eo tempore non tantum
ſaniſſimi, ſed et lætiſſimi vivant. Tum verò ipſa
nebula, ac nive quid pulchrius? quid nitidius illorum
candore? quid puriſſima glaciei cryſtallo delectabi-
lius oculis obijci poſſet? Sæpè aqua gelu conſtricta,
ac tota terra, arbores, tectaque pruina conſperſa
ita nitent, ut pellucido vitro, aut micantibus
argenti arenulis conſtrata omnia videantur. certè
ſi ex ijs regnis, quibus hyems taliſque illius calorum de-